

emissarii & vaccæ rufæ ceremonia, Sabbatum, lotiones crebræ, aliaq; sacra Ceremoniæ suam habent originem, imo ipsa quoque Circumcisio. Ita enim *Secul. V. p. 74.* de ea loquitur: *Apud Ægyptios circumcidendi ritus vetustissimus fuit, & à π' ἀρχῆς ab initio institutus.* Quod deinde probat testimoniis Herodoti, Diodori Siculi, aliorumque,

§. 3. Ab hac *Marshami* sententia nisi plane stet, ad minimum tamen ab illa non abhorreere creditur *Jeb. Spencerus, Tb. Doct. Ecclesiæ Eliensis Decanus, & Collegii corporis Christi apud Cantabrigenses Præfectus.* Edidit hic librum in fol. Anno 1685. *Cantabrigiæ*, qui titulum in fronte gerit: *De legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus.* Vastum opus est, & Autoris variam profundamq; eruditionem, ingenium in abdita quæque penetrare cupidum, acerrimumq; iudicium undique spirans, ceu iudicant *Lipsiens.* in *Act. Erud. Anno 1686. p. 113.* At easdem fere, quas *Marshami Canon Chronicus*, in se complectitur hypotheses: Deum sc. populum Israëliticum, in Ægypto educatum, ejusque institutis addictissimum, non repentina aliqua vi, sed methodis honeste fallacibus & lentis gradibus sub externa veteris specie ad novum cultum perducere studuisse, more Politicorum, qui axiomatis hujus: *Arcanum novi status imago antiqui*, haud ignari, res plane novas sub veteri & antiqua forma introducere solent, cum hæc lenis & quasi insidiosa methodus magnam sapientiæ speciem præ se ferat, & ingeniis humanis apprime sit accommodata, è contrario vero præceps mutatio rituum legumque multas pariat rixas motusq; varios. Vid. *l. 5. C. 2. Sect. 4. p. 28. seqq.* Vel quemadmodum prudens Pater, cum filium suum amore meretricis inflammatum & voluptatum illecebris irretitum videt, uxorem ei longe eximia corporis specie & decore habitus pretioso insignem dat, ut hujus amore captus, fucatam adblandientis meretricis formam ex animo abjiciat: Sic Deus mori & ruditati seculi blande & sapienter se accommodaturus, filiis suis, idololatræ Ægyptiorum cultui de-